

& Cicerone diximus, sua sibi non responderet eloquentia. Vt enim est apud eundem Senecam, orationes Salustij in honorem historiarum leguntur. Et hæc quidem hæctenus, quibus si assentiri libet, in vnaquaque arte, quadripartitæ Eloquentiæ designatos præfides habemus, & quod vix cæteri in singulis, Virgilium simul omnibus gloriantem. Hanc verò distinctionem, & si colore non careat, apud alium non inueni, qui in vnum Ciceronem publicus fauor inclinatur.

IULIUS CAESAR.

SCire autem velim, qui sex simul eloquentiæ Principes constituerunt, quem Iul. Cæsari locum dabunt? cuius eloquentia militaris, vt est apud Suetonium, aut æquauit præstantissimorum gloriam, aut excessit. Accusator Dolobellæ, plusquam militaris, summi Oratoris officium implevit, in qua quidem accusatione, extorqueri sibi causam optimam. L. Cottæ patrocínio questus est, quæ verbo vim facundix propriæ expressit, vt Valerio videtur. Et nimirum verbum extorquere hanc vim habet, vt reus ille, non facili ad vtrumlibet se habente, sed ex arctissimo qui-

qui-